

C.1.

101

EPITAPHIA

In obitum

*Ornatissimi, virtute, prudentia, dignitate conspicui atq; prestantissimi*

VIRI,

DN. IOHAN-

NIS SOMMERI, QVÆ-

STORIS OLIM ANHALTI-

ni provincialis, ac Cōsulis Cōtheniani

primarii, atq; de repub. optimè meriti, qui

placidè in Christo obdormivit Anno

ætatis 77. die 6. Maij, h. prima

pomerid. Anno 1609.

*Scripta*

*ab*

*Amicis & affinitate junctis.*

SERVESTAE

Excudebat Zacharias Dörffer,

Anno 1610.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to include names and titles, such as "JOHANN" and "MAGISTER".





MEMORIAE  
AMPLISS. ET PRUDENTISS.  
VIRI

Dn. JOHANNIS SOMMERI,  
THESAURARI ANHAL-  
dini, &c.



Viscera thesauri distringunt Viscera cor-  
dis;

Est, ubi thesaurus, cor ibi, Christus  
ait. *Matth. 6. v. 21.*

Virtute antiqua præstans Sommerus, acutus  
Consilio, antiqua conspicuusq; fide,  
Thesauri gemina cura districtus, utrinq;  
Solerti studio præstitit officium.

Prima fuit meritò cælestis cura coronæ,  
Ascaniæ gazæ cura secunda fuit.

Cui fuerat præstes, mundo jam cessit opum vim,  
Thesaurus cœli possidet ipse sibi.

*M. Caspar Vlricus.*

A 2

ALIUD.



ALIUD.

**S**iste gradum, lentè festinans, siste viator:  
Haud damnum facies, dum legis ista, moræ.  
Hoc tegitur tumulo, Sommerus, conditus urbe  
In patria, vitam munere cuius habet.  
Munere cuius habet claros, quos gessit, honores,  
Præmia virtuti debita, digna viris.  
Formator teneræ morum vocisq; juventæ,  
Non Thamira cantor, non minor arte Lino.  
Parva loquor: quantum pietas supereminet artem,  
Laude sua tantò major utroque fuit.  
Consulis his fasces, quaestoris & adijce munus,  
Immortale tulit nominis unde decus;  
Dum patriam meritis, dum fiscum principis implet  
Æris & argenti pondere, præstes opum,  
Atq; tributorum, cum vectigalibus, almus  
Pendit Anhaltinæ quæ ditionis ager.  
Parfuit his ætas meritis, quæ vivida, lustris  
Ter quinis messes addidit aucta duas.

Exem-

*Exemplo annorum raro, sed rarius illo  
Virtutum specimen consilijq; fuit:  
Cujus honos nullo terris abolebitur ævo,  
Fulgorem cælo concipietq; novum.*

Gregorius Bersmanus.



EPITAPHIUM

Ornatissimi atq; integerrimi

VIRI

DN. IOHANNIS SOMMERI  
QUÆSTORIS OLIM AN-  
haltini provincialis, & consulis in  
urbe Cöthen primarii, &c.

**H**Ac subter dormit Sommerus mole Johan-  
nes,

Cui natale solum clara Cothena dedit.

In patria docuit qui prima elementa juventam,

Quin & cantoris munia sustinuit:

Consulis officio fungens, pietate ministra,

Publica consilii commoda juvit ope.

A 3

Quæ-

Quæstoris partes illi imposuere Dynastæ,  
Ascaniæ proceres, Saxoniamq; duces.  
Cura illi pietas, & inexsuperabile Verum,  
Et studium recti, justiciæq; fuit.  
Bis septem vixit lustra, & septem insuper annos,  
Et vitæ tandem tædia deposuit.  
Corporis exuviæ tumulo clauduntur in isto,  
Pars melior cœli templa serena tenet.

*M. Iohann. Theopoldus.*



ALIUD.

**S**ic igitur, sine me, Sommerus abiit ad astra,  
Nec comitem sibi me adungere sustinuit,  
Qui mihi plus oculis proprijs dilectus ob æqui  
Et studium recti, justiciæq; fuit;  
Esto ita: nonnullo præcesserit intervallo:  
Exiguo spacio subsequar ipse tamen.  
Interea, Sommere, vale, nos cœlica jungent  
Gaudia mundanis anteferenda bonis.

Terre-



*Terrena hæc valeant, quæ gaudia falsa fuerunt :  
Est animo celum Patria Vera meum.*

M. Balthasar Kisevvetter  
Senior consocero suo  
dilectissimo. F.



*ALIUD.*

**U**T Soboles cari de funere mœsta parentis  
Luget, & irriguas imbuit imbre genas :  
Sic ego te, dilecte Socer, sic luget ademtum,  
Quæ dilecta tibi filia semper erat.  
Tu nam præsidium nobis columenq; fuisti,  
Qui, sine te, jam nunc orphana turba sumus.  
Hoc tamen est magnum nobis solamen, ad alti  
Quòd te præ nobis misimus astra poli.  
Teq; secuturi sumus olim tempore justo,  
Quod latet absconsum pectore nempe DEI.  
Tum verò mors nos non dividet amplius un-  
quam :  
Hunc utinam ostendat phœbus ab axe  
diem.

*Balthasar Kisevvetter I. V. L. socero  
suo dilectissimo. F.*

IN



IN OBITVM VIRI PRV-  
DENTISS. ET INTEGERRIMI  
JOHANNIS SOMMERI,  
Cōfulis Cötheniensis & Quæ-  
storis Provincialis Anhal-  
tini digniss. &c.

**Q**uas *JANE* inferias, tibi quæ funebria solvã,  
*SOMMERE?* & tibi quæ præmia digna ca-  
nam?

*Immities postquam Parca data stamina vitæ  
Disrupere tuæ, sic moderante DEO.  
Hos memores versus humili dictante Thaleia,  
Per quos æternùm vivere fama solet.  
Nam luctus, & mœsta domus quam fundere pergit,  
Nenia, perpetui pignus amoris erunt.  
Sic fas est; pietas sic, sic quoq; jura requirunt  
Naturæ, & sibi quæ libera turba tulit.  
Ergò per immensos acta ut tibi vitæ labores,  
Pars melior cœlo est reddita, corpus humo.  
Disq; soluto ex te Patri sic cessit Olympi,  
Telluri & matri, quod fuit ante suum.*

*Æter-*

*Æternæ donec Christus qui Causa salutis,  
Verbo perpetuum jungat utrumq; suo.  
Ingenij ob dotes meritò tibi Nestoris annos  
Debuerant Parcæ contribuissè Deæ:  
Sciivistisiquidem Cothenià in urbe juventa  
Mente pià doctas tradere litterulas.  
Quin sacer ordo patrū voluit, favor atq; Senatus,  
Te Symphoniacum sustinuisse Chorum.  
Cujus servasti moderamina tradita, donec  
Ad te res patriæ summa relata fuit.  
Consulis affecit te (inquam) dehinc numere dignum  
Digno, quo ut dura mole gravatus eras.  
Namq; Magistratus, seu publica cura regundi,  
Est gravis, ac magnum sarcina pondus habens.  
Nec satis hoc: tantis adjecit rector Olympi  
Munera muneribus, commoda rara viris.  
Nempe fatigârat cùm te Respublica curis  
Multis, atq; humeros grande gravârat onus:  
Entibi Questoris generalis munia cedunt  
Illustris tractûs Principis Ascaniæ.  
**Quæ STUDIO VIGILIGESSISTI, & PECTORE  
FORTI:  
INGENIO, CURA, DEXTERITATE,  
FIDE.***

B

Juxtâ

*Juxtà onerosa satis te cura domestica torfit,  
Quèmq; etenim nimium duriter ipsa premit.  
Namq; tori ut lugent amissam pignora matrem,  
Ipsa tibi viduo tota regunda domus.  
At verum contrà tu semper fortiter ibas,  
Officio prestans debita cuiq; sua.  
Ut non immeritò te fausto sidere natum  
Prædicet omnigenum quisq; per ora virum,  
Conjectans: olim Parcarum numina trina,  
Sua viter ad cunas hæc cecinisse tuas:  
Cresce puer, te nullus erit laudatior olim,  
Eximiâ prestans indole, cresce puer.  
En tibi felicem promittunt sidera vitam,  
Absq; tamen nunquam, crede, labore gravi.  
Blanda tibi nostro decurrent stamina fuso,  
Longaq; ducentur pensa voluta colo.  
Nec tantum ingenio, & laudatus pectore, & annis,  
Sed variis aliis dotibus, auctus eris.  
Mille tibi fraudes hominum non arte nocebunt,  
Nec fortuna solens mobilis ire gradu.  
Quamvis injiciet certamina sæpè molesta,  
Nec rarò existet rebus iniqua tuis.  
Omnia consilio prudenti, & pectore fortis  
Tu vinctes, siquidem hæc omnia cautus ages.*  
*Quin*

Quin & cuncta tibi magno rata honore manebunt,  
Cana caput circum donec habetur hyems.  
Nec te spes unquam, nec te fortuna fefellit,  
Omnibus ereptum te dedit ista malis.  
Nam prolongarunt fatales pensa sorores,  
Lustra ter annorum ad quinque, & abinde duos;  
Ante tuae data quam ruperunt stamina vita,  
Ut concessa tibi debita vita foret.  
At nunc pensorum cum terminus exiit, atra  
Tristibus exequiis mors pia vota tulit:  
Cum bene rexisti Cothena Lycea, rependam  
Aeterna ut videas sancta Lycea Schola.  
Adsis angelica modulanti vere cohorti,  
Pro, Symphonicum sustinuisse chorum.  
Consulis ob munus, quo leges rite ferebas,  
Astri splendoris Clarus ad instar eris.  
Præmia quæ tandem Quæstura peracta refundet,  
Cum quæ fas, pietas, cana quæ juncta fides?  
Hanc Vocem: Euge, veni bone, & intra, serve fidelis,  
Gaudia, quæ à Domino sunt tibi parta tuo.  
Pro sequor his dignum te votis, Clare virorum,  
His cum, quos ex te sanguinis ortus habet.  
Cognatos inter, natos, notosque, relinques,  
Ignoti queruli nomen, habere locum.

B 2

Namq;

*Namq; fides, Pietas, Virtus tua postulat; ergo  
Hoc cape supremum funeris officium.  
Spiritus interea tuus hinc pius astra subintret,  
Cespite sub viridi molliter ossa cubent.  
Dum fiant, cecinit quæ mortis Nenia, vitæ  
Jam saturo, cupido dissoluiq; tibi.*

M. Bartholomæus  
Schröterus.

F I N I S.



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017









B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

101

I A  
 dentia, digni-  
 antissimi  
 IAN.  
 I, QV Æ=  
 ANHALTI-  
 is Cötheniani  
 mè meriti, qui  
 mivit Anno  
 h, prima  
 609.  
 unctis.  
 E  
 s Dörffer,

